



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXIII. Vtrum obiectum formale spei sit omnipotentia promittens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

consistit in coniunctione motiui cum re, cui ipsum non inest; non verò circa ipsum motiuum secundum se. Igitur non possunt esse eiusdem speciei actus directi per fidem humanam, cum actibus directis per fidem diuinam, vt diuina est.

Ad 4. Deus, vt Auctor naturalis, & Deus vt Auctor supernaturalis sunt prædicata distincta tantum ratione: vnde non æqualis, sed eadem prorsus est perfectio realis vtrouque: sed quia Deus apparet secundum prædicata diuersa, quando cognoscitur solum, vt auctor naturalis, & quando cognoscitur, vt Auctor supernaturalis, propterea terminat actus specie diuersos, sub alio, atque alio conceptu, & quidem præstantiores, quando præcognoscitur, vt Auctor supernaturalis, quia tunc apparet magis bonitas Dei licet non appareat bonitas, quæ à parte rei sit maior. Videantur, quæ dicta sunt quæst. 3.

Ad 5. Subuentionem miseriæ esse bonam, & appetibilem honestè est certum, & euidens, solumque potest probabiliter, aut falsò iudicari huic determinatè homini inesse miseriæ, & hanc numero actionem miserentis esse subuentitiā, non solum quantum est de se, sed etiam re ipsa hic, & nunc. Motiuum autem miserentis, vt miserentis formaliter, ac præcisè est honestas subuentionis miseriæ, non quod miseria inest huic indiuiduo determinatè; eidemque determinatè prodest actio subuentitiæ. Nam qui operatur præcisè ex motiuo misericordiæ, æquè subueniet cuius alij indiuiduo: & quod huic subueniat determinatè, nihil confert ad taxandam perfectionem actus, aut ad appretiationem operis, quam facit voluntas. Imo magis, & laudabilius appretiare videtur honestatem miserendi, quando illam quærit, etiam circa subiectum, cui non est certum inesse miseriā: Sicut colit magis amicitiam, qui subuenit amico, etiam in periculo dubio, aut solum suspicabili. Nomine autem motiui intelligitur obiectum specificans, & conferens perfectionem actui, & quod constituit determinatum gradum appretiationis affectiue, non quod ad indiuiduationem determinat. In rebus nimirum omnibus creatis species, totaque perfectio rei, numero multiplicabilis, sunt extra indiuiduationem; adeoque determinatio indiuiduationis est quid purè materiale, & de quo in electionibus, perinde atque in scientiis nulla habetur ratio, dum non adiungitur illi aliquid specie diuersum. At rationi communi Deo, & creaturis, quatenus determinatur ad Deum, accrescit perfectio multò maior, quam inesset independentè ab hac determinatione. Quapropter eadem ratione, qua necessarium est ex dictis, cum qui exercet actum honestum circa promissionem humanam, esse certum de possibilitate humanæ promissionis, & de honestate eam prosequendi; Necessarium quoque est, cum, qui exercet actum honestum circa promissionem diuinam, vt diuinam; hoc est, exercet actum Spei Theologicæ, esse certum de diuinitate promissionis, seu quod auctor promissionis, quia nititur, sit Deus. Alias enim sola mouebitur ratione promissionis, vt præscindentiæ à diuina, & humana, habente diuinitate formaliter sumpta rationem obiecti purè terminatiui, ac materialis; & exercente opinionem de diuinitate, solum vim determinandi ad indiuiduationem actus terminati ad diuinitatem, seu ad coniunctionem promissionis cum diuinitate.

Ad 6. Verum est posse esse obiectum formale actus voluntatis, quod est materiale respectu cognitionis ipsum dirigentis. Verum itidem est, fidem Hæretici, & Catholici de promissionibus aliisque prædicatis diuinis solo differre motiuo, & obiecto formali, & vtramque ad idem obiectum materiale terminari. Sed ex eo discrimine obiectiuo, quoad motiuum, subnascitur discrimen aliud formale vtriusque fidei, quoad

ipsum obiectum materiale, cuius attingentia est communis vtrique: Nimirum fidem Catholici esse certam, quoad existentiam promissionum, aliarumque similium formalitatum diuinarum; & quoad honestam earundem, quatenus diuinæ sunt, prosequibilitatem: Fidem verò hæretici esse incertam quoad hæc duo. Vnde iuxta dicta ad fidem Catholici possunt subsequi actus Spei, & Charitatis Theologicæ, ac infusæ mouente adequatè promissione diuina, vt diuina, & bonitate Dei auctoris supernaturalis. Ad fidem verò hæretici, tales actus subsequi minimè possunt; sed alij longè ab illis dissidentes, saltem inadæquatè, quoad motiuum, & consequenter quoad perfectionem, iuxta duos modos explicatos in nostro fundamento, inque eius confirmatione. Commune igitur est Spei, & Charitati Theologicæ, vt quoad omnes suos actus essentialiter pendeant ex directione fidei supernaturalis proponentis motiuum eorum proprium. Superest, vt exponatur, quoad specialiter vtrius earum proponitur, vnde etiam confirmabitur vberius, & explicabitur magis, quod de vtraque communiter dictum est.



Incipit tertia pars de Spe.

QVÆSTIO XXXIII.

Virum obiectum formale Spei sit omnipotentia promittens?

VIDEATUR non esse. 1. Quia Spes non distinguitur à fide, vt colligitur ex illo Romanor. 4. 3. *Credite Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Cuius rei hæc additur ratio ibidem vers. 18. *Qui contra Spem in Spem credidit.* Quod non rectè diceretur, si credere, & sperare non essent idem, & credere in spem, non esset aliquod sperare. Confirmatur, quia desperatio est actus intellectus dissentientis diuinis promissionibus. Nihil namque aliud est desperare quam credere nullum iam bonum superesse, quod quis consequi à Deo possit. Ergo spes consistit in opposito credendi actui; siquidem contrariorum est eadem proportionalis ratio. Cum ergo motiuum formale fidei non sit Omnipotentia promittens; sed prima veritas reuelans; neque etiam motiuum Spei illa esse potest, sed ista.

2. Sicut motiuum fidei est veritas Dei in cognoscendo, & dicendo; ita motiuum spei est fidelitas Dei in dicendo, & exequendo. Sicut enim creditur veraci, ita speratur de fidei. Ergo fidelitas Dei est motiuum formale spei.

3. Si omnipotentia, vt promittens esset motiuum formale spei, spes non distingueretur à Charitate. Quia omnipotentia promittens est quædam perfectio Dei spectans ad plenitudinem bonitatis, quæ ipsi inest. Omnis autem, & quælibet perfectio diuina, & quidquid spectat ad plenitudinem bonitatis Dei continetur in motiuo adequato Charitatis, vtpotè volentis Deo omne suum bonum. Ergo aliquid aliud ab Omnipotentia promittente est motiuum spei, saltem parziale.

4. Omnipotentia promittens, vel dicitur motiuum spei, quatenus vt sic est perfectio Dei, vel quatenus est inductiua bonorum nostrorum, & donorum gratiæ. Priori modo pertinet ad obiectum formale Charitatis ob rationem modo datam. Posteriori modo sequitur inconueniens. Nempe per virtutem spei plus amari bonitatem creatam, quam diuinam. Qui enim amat aliquod bonum præcisè, vt inductiuum

alicuius

alicuius alterius boni, plus amat, & maiori habet in pretio, hoc alterum bonum, ut patet in exemplo appetentis pharmacum, quatenus inductium sanitatis, eo namque ipso praefertur sanitas pharmaco per talem appetitionem; Sequela autem est absurda, ut patet, & contradicit conceptui virtutis Theologicae, utpote quae essentialiter fertur in Deum super omnia alia, ut dictum est quaest. 4.

5. Obiectum formale spei est bonum, quod speratur, sicut Charitatis, & dilectionis, quod diligitur, & desiderij, quod desideratur, & sic de similibus. Bonum autem, quod speratur, non est Omnipotentia promittens, quae videlicet est praesens, nec habet arduitatem; cum de ratione obiecti spei sint futuritio, & arduitas ex communi sententia.

Art. 1. Resp. Familiare est D. Thomae exponere spem exemplo, & ad modum fidei, ut videre licet, in praesenti quaest. 18. art. 6. aliisque in locis; sed maxime quaest. 4. de Virtutibus, quae est de Spe art. 1. Quare sicut motuum ad, quatum fidei dicit esse primam veritatem. Ita in his locis docet, motuum spei esse omnipotentiam diuinam. Sicut autem dum ageretur de fide, dictum est primam veritatem intelligi reuelantem, eaque intelligentia deducta est ex eodem D. Thomae; ita nunc ex mente eiusdem dicendum est omnipotentiam intelligi promittentem. Et ratio utrobique est eadem, quia sicut existente prima veritate, & non superaddita terminatione libera reuelante, non posset ratione eiusdem primae veritatis moueri intellectus noster, ad affirmandum potius, quam negandum aliquid determinate, & ad affirmandum hoc potius quam aliud; ita etiam posita omnipotentia diuina, & non superaddita terminatione libera promissoria, nullum prorsus donum supernaturale, aut etiam naturale sperare possemus, certe non possemus secure, & absque vlla formidine sperare, & multo minus possemus sperare haec potius dona, quae speramus de facto, quam quaelibet alia. Si enim Deus nolisset vlla nobis dona supernaturalia conferre, aut voluisset alia conferre, quam confert, atque bona naturalia aliter distribuere, ac distribuit, nulla posset in nobis exurgere spes, nisi omnino vana, & incerta circa ea determinate, quae de facto speramus. Requiritur ergo, & quidem ratione sui, ut patet, promissio diuina pro fundamento spei nostrae; atque ad hoc includitur intrinsece in obiecto eius formali.

Art. 2. Incluitur verò tanquam purum obliquum, sicut dictum est de terminatione reuelante respectu fidei. Quia terminatio libera promissoria nullam perfectionem superaddit omnipotentiae, quam determinat ad auxiliandum nobis, & ad exequendum ea omnia, & singula bona, quae speramus; eaque propter innititur per actum sperandi sola perfectione Omnipotentiae in auxiliando, & exequendo ea omnia, quae speramus. Proponitur autem spei Theologicae perfectio potissimum Omnipotentiae, quia sub hac maxime expressione significatur, quod erigit animum nostrum ad speranda bona omnia, quae conferunt ad consecutionem vitae aeternae, ipsamque vitam aeternam, & ad superandas difficultates occurrentes in eorum prosecutione. Caterum perinde est, si dicatur obiectum formale spei, siue Deus promittens, siue infinita eius Bonitas, siue Misericordia, siue Benignitas, siue Fidelitas, aut Iustitia, & sic de ceteris eiusmodi, cuius ratio est eadem cum ea, quae in simili reddita est circa fidem quaest. 15. atque ex quaest. 20. deducitur similiter, vltimam resolutionem nostrae spei fieri in omnipotentiam promittentem, adaequate quidem sub hac ipsa generalitate; Inadequate verò, & quoad hos, vel illos actus seorsim, ac determinate in eandem, ut promittentem hoc, vel illud donum determinate.

Art. 3. Duae praeterea similitudines obseruandae sunt inter fidem, & Spem. Dictum in primis est actum fidei supponere simplices apprehensiones credendum, & iudicium de credibilitate. Actus autem spei praesupponit similiter simplices complacentias, & desiderium sperandorum. Nam, ut docet D. Thom. 1. 2. quaest. 25. art. 1. Omnes passiones irascibiles, praesupponunt passiones concupiscibiles. Pertinent autem simplex complacentia, & desiderium ad partem concupiscibilem; quandoquidem feruntur ad bonum secundum se absque admixtione mali: Spes verò pertinet ad irascibilem; quia fertur ad bonum arduum, & difficile, quod est bonum admixtum malo, ut idem deducit ibidem quaest. 40. art. 1. Dictum rursus est iudicium de credibilitate pendere à discursu, ac proinde actum fidei pendentem ab eo iudicio, pendere aliquo modo ab eodem discursu; qui tamen dependentiae modus excedit modum discursus humani. Quia actus fidei non infertur per illum, tanquam conclusio: sed habet se respectu eius secundum se concomitante, atque praetegreditur certitudine sua omnem certitudinem deducibilem ex discursu. Eadem est ratio proportionalis de desiderio, & spe appetitus rationalis, & appetitus sensitui. Eodem namque modo actus spei pendet ex desiderio, & ex discursu suadente prosecutionem sperandorum, & eorum omnium, quae ad eorum prosecutionem deferuere possunt, inter quae est ea causa, cuius potestas, & bona dispositio refundit sperabilitatem in bona desiderata: Sed modus, quo spes Theologica dependet ab eo desiderio, & discursu, excedit modum naturalem, & humanum. Quia haec spes certitudine sua affectiua, seu fiducialitate excedit omnem certitudinem, & fiducialitatem causabilem ex desiderio, ac discursu. Ratio utrobique est eadem; quia sicut auctoritatis diuinae, quamvis apparenti obscurae, & absque euidencia coactiua intellectus debetur ob suam infinitatem summa eiusdem intellectus adhesio sperans adhaesionem ad omnes, & quaelibet cuiusvis generis rationes creatas; ita diuina Fidelitati, seu Omnipotentiae alligata per promissionem, debetur, ob eandem infinitatem, summa inclinatio voluntatis, summamque adhesio affectiua superans omnem inclinationem, & adhaesionem, ad quaelibet, cuiusvis generis motiua creatas; tamen haec euidenter sunt cognita; illa verò sit proposita obscurae per fidem.

Art. 4. Altera comparatio est huiusmodi. Prima veritas reuelans, ita est motuum credendi cetera omnia, ut ipsa quatenus hic, & nunc reuelans, sit primum creditum ratione sui, quo non credito, nihil potest credi per fidem diuinam; & quo credito, nihil potest negari eorum, quae ad eandem fidem pertinent, siue sint identificata realiter, cum eadem prima veritate, siue distincta realiter ab illa. Similiter ergo Omnipotentia promittens, ita est ratio appetendi cetera omnia, quae promittuntur à Deo, ut primum appetibile, ratione sui per spem, sit ipsa omnipotentia, quatenus hic, & nunc promittens, cui dum non adheret voluntas, nihil potest sperare per spem diuinam, & cui dum adheret, de nullo eorum desperare potest, quae cadunt sub eadem spe, siue sint distincta realiter ab Omnipotentia promittente, siue indistincta. Intercedit tamen quoddam, quoad denominationes discrimen quatenus per fidem, non solum dicuntur credi obiecta eius materialia tam distincta, quam indistincta realiter à prima veritate reuelante; sed etiam ipsa prima veritas, ut reuelans hic, & nunc. At non sic dicitur sperari Omnipotentia, ut promittens. Haec enim denominatio sperati solum conuenit bonis futuris, aut certe nondum cognitis, ut praesentibus. Ratio huius differentiae est, quia intellectus perinde omnino fertur per cognitionem abstractiuam in

in præterita præsentia, & futura, cum eiusdem generis apparentiam ea omnia habeant, eiusdemque proinde generis perfectionem afferant intellectui abstracti. At voluntas non fertur eodem modo in absentia, & præsentia, dum ipsi cum hac differentia re-præsentantur, neque eandem vtrinque perfectionem sortitur. Quia de præsentibus concipit gaudium, atque in illis quiescit: De absentibus vero, ac futuris concipit desiderium, estque de illis sollicita. Vnde spes, cuius obiectum formale est præsens, & absentia obiecta materialia, participat rationem gaudij, & quietis, respectu obiecti formalis; rationem vero desiderij, & sollicitudinis respectu obiectorum materialium. Quapropter circa vtraque inest spei admixtio quædam indiuidua gladij, & sollicitudinis, quatenus obiectum formale præsens respicitur in ordine ad obiectum materiale absens; nempe secundum inductiuam illius de futuro: Et obiectum materiale absens respicitur, propterea subest obiecto formali præsentij, & propterea habens rationem præsentis in semine. Verum præualet, quoad denominationem sperati conditio obiecti materialis. Quia ipsum etiam obiectum formale habet quodammodo rationem absentis, propter obscuritatem fidei illud re-præsentantis; qua etiam de causa non valet tan undem ad gaudium, & quietem, quantum valet ad desiderium, & sollicitudinem obiectum materiale. Hoc igitur, sperari dicitur, illud, ratio sperandi. Ita vt formale sit, vnde speramus, materiale, quod speramus; & ex vtroque indiuisim existat delectatio quædam sollicita, & sollicitudo delectans.

Art. 5. Indidem etiam effectum est, vt spes communiter explicetur potissimum per ordinem ad obiectum suum materiale. Nempe à D. Thoma 1. 2. q. 40. art. 1. atque in præsentij q. 17. sæpè; nec non à cæteris Theologis, frequenter explicatur spes, dicendo obiectum eius esse bonum futurum, arduum, possibile obtineri. Ex quibus quatuor conditionibus prima, & postrema sunt communes obiecto formali, & materiali spei. Reliqua vero duo sunt propria solius obiecti materialis. Etenim esse bonum conuenit formaliter, tam obiecto formali; quam materiali. Spes siquidem est de solis bonis, vt dicitur paulò post ex Augustino: Atque hinc differt spes à timore, qui est de malis. Rursus possibile obtineri, est itidem commune, vtrique obiecto, sed diuersimodè; quia obiecto formali conuenit causaliter, materiali formaliter. Causa enim, ob quam sunt formaliter possibilia bona, quæ speramus, est omnipotentia diuina coniuncta cum promissione illorum. Atque ratione huius possibilitatis differt spes à desperatione, quæ fertur ad bonum, vt impossibile obtineri. Futurum nullatenus conuenit obiecto formali spei. Quia ratio formalis sperandi, quæ futura sunt, est præsens bona dispositio causæ ad illa præstanda. Verum quia obiectum ipsum formale respicitur à spe in ordine ad futurum, vt apparet clarissime ex ratione promissionis essentialiter respicientis futurum, vt futurum; propterea rectè explicatur spes per istam rationem obiectiuam; Atque per eandem distinguitur à gaudio, quod est de præsentij, præcisè, vt præsentij, & non vt respicienti formaliter aliquod futurum. Arduitas denique, seu excellentia obiecti, coniuncta cum difficultate obtinendi, distinguit spem à desiderio, quod fertur in bonum absens, præscindendo ab eius difficultate, & propterea pertinet ad partem concupiscibilem, cum spes pertineat ad irascibilem, vt dictum est, ob adiunctam difficultatē obiecto excellenti.

Art. 6. Inquam obiecto excellenti, quia vt dicit D. Thomas quæst. illa 40. art. 1. *Non dicitur quis sperare minimum, quod statim est in sua potestate, vt habeat.* Et quidem, quod quisque habet in sua potestate, siue magnum id sit, siue paruum, non dicitur propriè sperare. Sicut enim nemo sibi loquitur, aut credit propriè, ita

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

nec propriè sibi promittit, aut de se sperat propriè; sed simpliciter proponit: & vult sibi bonum proueniens ab actione propria. Quod autem ab alterius voluntate, & potestate dependet, dicimur propriè sperare, siue magnum, siue paruum in se fuerit; Quare excellentia, & arduitas à D. Thoma, & aliis communiter attributa obiecto spei debet intelligi comparatiua respectu sperantis, & potentia ipsi conuenientis ad obtinendum bonum. Quia quod quisque habet in propria potestate, non est ampliùs excellens respectu ipsius. Præhabetur enim virtualiter in causa. At quod haberi ab aliquo non potest, nisi dependenter ab alterius voluntate, ac potestate, eo ipso est excellens respectu eius, quia superat vires ipsius, estque proinde necessaria illarum coniunctio cum viribus alterius, pro obtinendo tali bono. Est autem proprium rei excellentis, vt ad existendum indigeat pluribus causis, aut causa excellentiori. Vt cumque verò hoc habeat arduitas, seu difficultas secundum se non pertinet ad obiectum formale spei licet hoc dicat ordinem ad illam. Nam, vt ait D. Thomas q. illa 40. art. 4. *Obiectum spei, quod est bonum arduum habet rationem attractiuum, propterea consideratur cum possibilitate adipiscendi.* Hæc porò possibilitas inest motiuo formali idest potestati, & inclinationi causæ ad adiuuandum, in ordine ad superandam difficultatem, & arduitatem. Quare cum potentia diuina inest eiusmodi inclinatio, ac determinatio ratione promissionis, concluditur optimè assignatum esse obiectum formale motiuum spei Theologicæ, per Omnipotentiam promittentem.

Art. 7. Superest hic exponenda difficultas minimè contemnenda: quare, sicut ponitur vna virtus Theologica respiciens Deum vt promittentem, non sit ponenda alia similiter virtus Theologica respiciens Deum, vt comminantem. Quandoquidem vtraq; hæc ratio formalis aequè reperitur in Deo, & ratione comminationum, non minùs, aut aliter mouere potest ad timorem Theologicum, atque potest mouere ad spem Theologicam ratione promissionum. Obseruandum est, non esse malum nostrum comminationes diuinas ratione sui; sicut sunt bonum nostrum ratione sui promissiones diuine. Quia, quod Deus minetur nobis penas peccatorum, est maximum bonum nostrum, & speciale diuinæ Providentiæ beneficium, ortum ex amore nostri dirigente nos, ac stimulante in nostram felicitatem, & media illius, pro nunc participandæ, & postea obtinendæ; rursus alias in sentinam virtutum omnium. Vnde comminationes diuine fouent virtutem spei, iuuantque ad sperandum.

Art. 8. Obseruandū hinc rursus est aliud discrimen; nempe diuinas futura beatitudinis, & donorum ad illam conferentium promissiones, non esse purè conditionatas, nec æquivalentes purè conditionatis, habentibus rationem conditionis nostris meritis; nõ solum quia plura dona promittit Deus, præuenientia omne nostrum meritum, sed etiam quia merita ipsa nostra promittit, vt dictum est ex Ezechiele, & Augustino quæst. 16. de Gratia. Quia videlicet merita nostra sunt dona Dei, non minùs, quam cætera omnia, quæ ex ipso habemus. At comminationes diuine sunt purè conditionatæ, vel æquivalentes purè conditionatis, habentibus rationem conditionis nostris peccatis, quæ non sunt ex Deo; sed ex nobis solis. Iuxta illud Osæ 13. 13. *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum.* Quare causa adæquata timendi futura peccata est nostra fragilitas, nõ diuina comminatio, quæ potius ab illis retrahit efficacissimè; cumque penæ peccatorum proueniant à peccato tanquam à radice proxima & vltimò ad illas determinante, patet eandem fragilitatem esse obiectum principale Timoris; quo Deum minantem timemus. Quibus de causis docet D. Thomas in quæst. de Virtut. art. 12. ad 11. & in

C C c

præsentij

pāfenti q. 19. ar. 9. ad 2. Timorem Dei non eſſe virtutem Theologicam. Quia motiuum eius principale non eſt Deus, aut quidquam diuinum: ſed malum culpa, & pœnæ, & propria fragilitas, vt dictum eſt. Conſtat igitur nullam eſſe paritatem ex promiſſionibus, & Spe, ad comminationes, & timorem; neq; iſtas pertinere ad ſpecialem virtutem Theologicam, ſicut promiſſiones pertinent ad ſpecialem virtutem ſpei.

Art. 1. Ad 1. Nonnunquam fides ponitur pro fiducia, in ſacris literis propter magnam vtriuſque connexionem, & propter indeterminationem eius vocis ad vnum ſignificatum. Cæterum in aliis locis, idque vt plurimum fiducia, ſeu ſpes clariſſimè uſurpatur, vt diſtincta à Fide, vt apparet ex q. 1. & 3. Quare conſuſio virtutis ſpei, cum virtute Fidei eſt propria Hæreticorum omnia trahentium ad fidem, à qua diſtrahunt ſe ipſos. Locus ille ex Epistoſta ad Romanos, nihil illis fauet. Idè enim dicitur Abraham credidiſſe in ſpem contra ſpem; quia in fide promiſſionum Dei fundauit ſpem, contra ſpem, quam naturalis illius, & Saræ diſpoſitio præbere poterat vt ibidem oſtendit Apoſtolus verſ. 20. dicens: *In re promiſſione etiam Dei non heſitauit diſſidentia*; cum immediatè ante prætuliffet planè, tanquam quid omninò diſtinctum. *Et non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum, &c.* Diſtinguit ergò clarè fidem à ſpe, & quod ponderationem, ac commendationem vtrique adiungat eandem, aut valdè ſimilem, ex eo prouenit, quia ſterilitas erat motiuum ex ſe potentiſſimum ad impediendam non ſolum ſpem proliſ; ſed etiam fidem, & aſſenſum reuelationis de prole futura. Deinde adest auctoritas Auguſtini dicentis cap. 8. Enchir. ad Laur. *Fides, & Spes, non tantum vocabulo, ſed rationali differentia diſtinguntur.* Quod probat ratione clara, & efficaci. *Quia fides, ait, de bonis eſt, ac malis, ſpes tantum de bonis.*

Art. 2. Qua etiam ratione reiiciuntur, quælibet aliæ opiniones reuocantes ſpem in virtutem, actumque intellectus, vt cumque explicentur. Cum enim in ſacris literis, eadem atque ex eodem obiecto formali habeatur certitudo, & veritas præmiorum, & pœnarum bonorum, & malorum, eodem prout modo in vtraque hæc extrema ferretur intellectus; ac proinde & ſpes, ſi eſſet virtus intellectualis. Iam qui conſugiunt ad actum intellectus, qui neque ſit iudiciũ, neque ſimplex apprehenſio, vt eo ſpem formaliter conſtituant, ideo audiendi non ſunt, quia alibi oſtenſum eſt, implicare actum intellectus diſtinctum à ſimplici apprehenſione, & iudicio; & quia iſtum dicendi modum nunquam ſatis explicatum, nec intelligibilem induxit difficultas ſola inueniendi motiuum formale virtutis Theologicæ pertinentis ad voluntatem, & à charitate realiter diſtinctæ: Cuius proinde expoſitio iam data, efficacius omni alio argumento eundem dicendi modum diruit. Quod dicitur de deſperatione conſtituta formaliter per diſſenſum diuinæ promiſſionum, infra patebit eſſe falſum.

Ad 2. Inſinuatum iam eſt controuerſum eſſe leuem, quodnam Dei prædicatum ſit motiuum ſpei, eadem ratione, qua idem dictum eſt quæſt. 15. reſpectu motui fidei; niſi quod, cum ſint duæ virtutes Theologicæ pertinentes ad voluntatem, pluſculum fortasſe intereſt pro retinenda legitimè earum diſtinctione, & vitanda omni vtriuſque conſuſione, cautius loqui, quoad expreſſionem idoneam motiuorum vtriuſque. Sanè nullum eſt modi periculum eſſe poteſt, ex eo quod dicatur, Fidelitatem Dei in dicendo, & exequendo ſimul, eſſe motiuum ſpei. Quia hoc vix quidquam, etiam formaliffimè differi à conceptu Omnipotentis promittentis. Nihilominus, quia hæc poſterior expreſſio remouet longius, & diſtinguit clariùs ſpem à fide, ea potiſſimum xſurpanda eſſe videtur.

Ad 3. Conceptus Omnipotentia, vt promittentis, eſt conceptus magis proprius, & ſpecialis, eiufdem Omnipotentia, quatenus inducentis, & exequentis bona noſtra, quam perſcientis Deum, & cumulantis plenitudinem bonitatis eius, quatenus ratio promittentis ita eſt ſpecialiter vtilis, ac æſtimabilis reſpectu promiſſarij formaliter ratione ſui, vt nullam prout dicat perfectionem, aut bonitatem peculiarem, quam perfectioni, & bonitati Dei neceſſariè adiungere poſſit. Quapropter dum dicitur, Omnipotentiam promittentem eſſe motiuum ſpei, ſufficienter ſignificatur, illam habere rationem motui huius virtutis, quatenus eſt bona nobis. Obiectum autem charitatis eſt bonitas, & perfectio Dei quatenus eſt bona Deo, vt infra dicitur. Nulla ergo ſequitur iſtarum inter ſe virtutum conſuſio.


Ad 4. Cauſa inductiua alicuius boni, eſt capax ex genere ſuo, vt ſit obiectum tum formale, tum materiale reſpectu affectus tendentis ad tale bonum. Quippe reſpectu affectus deſiderantis illud habet rationem obiecti materialis; formalis verò reſpectu affectus ipſum ſperantis, vt apparet in illo ipſo exemplo. Agrotus enim quia ſanitas eſt ſibi bona, deſiderat bonum Medicum, & pharmacum bonum, & conuerſio ſperat ſanitatem, quia Medicus eſt bonus, & bonum pharmacum. Habent proinde rationem cauſæ, & motui, bonitas quidem ſanitatis, reſpectu deſiderij; bonitas verò medici, & pharmacum reſpectu ſpei; tameti vtrobique amentur Medicus, & pharmacum, quatenus inducere valent ſanitatem. Hoc modo inter ſe comparantur voluntas credendi antecedens deſiderium diuinæ promiſſionum, & ſpes ſubſequens ad eandem fidem, atque fundata in iſdem promiſſionibus. Voluntas enim credendi eſt deſiderium bonorum, quæ prouenire poſſunt ex magiſterio, & familiaritate diuina, iſſque bonis mouetur tanquam obiecto ſuo formali, ad imperandam fidem, & captiuum intellectum. Ad fidem autem diuinæ promiſſionum conſequitur ſpes, præſupponens eſſentialiter eandem fidem, atque idè ſimiliter præſupponens deſiderium bonorum promiſſorum, & innitens promiſſionibus diuinis, tanquam motiuo ſuo formali, ad eandem illam bonam ſperandam: adeoque præferens affectiue promiſſiones diuinas, bonis promiſſis. Vnde conceſſa priori parte obiectionis, negatur inconueniens, quod inferitur in ſecunda parte, quæ procedit ex conſuſione ſpei cum deſiderio, & attribuit illi, quod eſt huius proprium.

Art. 1. Ad 5. Quod ad modum loquendi attinet patet ſatis ex dictis in reſponſione ad quæſtionem art. 5. Quod ad rem ipſam attinet, admittendum nequaquam eſt, bona creata ſperata, ſeu ſperabilia eſſe motiuum formale, vel etiam parziale ſpei, cum ſolus Deus ſit motiuum eius adequatum, vt colligitur ex Pſalm. 36. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Pſalm. 90. 9. *Tu es, Domine, ſpes mea.* Et Pſalm. 117. 9. *Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in Principibus;* cuiuſmodi ſunt quamplurima in cæteris Pſalmis, & in omnibus ferè Epistoſtis. D. Pauli, atque in 2. Pet. 1. 21. docemur reponere in Deo ſpem noſtram ſicut fidem, præ hæc verba. *Dedit ei gloriam vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo.* Dictum autem eſt obiectum formale fidei eſſe ſolum Deum. Opinio contraria ſuborta eſt ex conſuſione ſpei cum deſiderio. Motiuum namque deſiderandi eſt ſola bonitas eorum, quæ abſunt, & cognoscuntur profutura, ſi adſint; & quod ea bonitas eſt maior, vel minor, eò magis, vel minus deſiderantur. Motiuum autem, ſperandi eſt ſola potentia, & inclinatiō, ſeu bona diſpoſitio cauſæ ad conferenda illa eadem bona præcontenta in ipſa; & quod hæc diſpoſitio eſt melior, vel deterior, eò ſpes concipitur maior, vel minor; per ſe loquendo.

Art. 2. Vnde vſuuenit frequenter in conſiderandis humanis.

humana, ut maxima bona desiderantur magis, simulque superentur minus, quam minora bona: atque è conuerso sperentur magis, minusque desiderantur bona minora; quia ad hæc facilius, & pluries datur bona dispositio in causa, ex qua prouenire possunt. Ergo neque in spe diuina, neque in humana habent rationem motiui spei bona sperata vlla ex parte. Idipsum obseruari potest in vsu metaphorico huius vocis: Neque enim sperantur fructus ex arbore, quia sunt boni; sed quia bona est dispositio arboris ad eos ferendos, atque hæc dispositio est adæquata mensura spei. Nullum namque est augmentum, vel decrementum spei ex bonitate maiori, vel minori fructuum, sed ex sola meliori, aut minus bona dispositione arboris. Atque vniuersum motiuum sperandi est dispositio præsens eorum, quæ sunt absentia; atque adeo totum motiuum sperandi est præsens, & quæ sperantur sunt absentia. Ergo beatitudo formalis, aliæque bona sperata, neque partialiter continentur in motiuo formalis spei, tanquam constitutiva ipsum intrinsecè. Patet verò ex discursu facto nihil quoad hoc interesse, quod ea bona dicantur includi in obliquo, seu ut quo, dummodo prouenire debeant ab illo ex quo sperantur, sintque proinde obiectum formale desiderij.

Art. 3. Eadem ratiocinatione refelluntur, qui spei attribunt duos fines alium *qui*, alium *cui*, dicentes finem, *qui* speratur esse summum bonum, quod est Deus; & finem *cui* speratur, esse ipsum sperantem; vtrumque verò finem habere rationem motiui formalis; Licet finis *qui*, sit motiuum præcipuum; Id quod putant sufficere, ut spes sit virtus Theologica: hi, inquam refelluntur eadem ratiocinatione, quia mensura spei est sola bona dispositio causa; ex qua aliquid speratur; non verò bonitas eius cui speratur, nisi fortè ex hac bonitate resultet dispositio peculiaris aliqua in eadem illa causa. Nonnulla alia adducuntur contra hunc dicendi modum, inter exponendum Charitatem.



QVÆSTIO XXXIV.

*Vtrum Spei conueniant definitio,
& proprietates proportionales Fidei?*

VIDETUR non conuenire. 1. Quia fides pertinet ad intellectum; & spes ad voluntatem; atque adeo sunt in diuerso genere constitutæ. Ea autem, quæ sunt generis diuersi, nullam inter se seruant proportionem quoad essentiam, & proprietates.

2. Fides dicitur non apparentium: Spes autem est eorum, quæ apparent per ipsam fidem. Rursus fidei conuenit esse argumentum; nihil autem simile argumento reperitur in modo, quo spes amplectitur suum, obiectum. Quia nihil est, quod se habeat, aut veluti antecedens, aut veluti consequens. Ergo definitiones vtriusque sunt omnino improporcionales.

3. Omnes actus fidei sunt eiusdem speciei, ut dictum est supra. Spei autem tribuuntur communiter plures actus specie distincti, nempe quatuor prosecutionis, & vnus fugæ. Quorum primus est amor concupiscentiæ, secundus desiderium, tertius spes, quartus delectatio, & quintus timor. Satis autem ex se apparet hos actus esse inter se diuersos, & modos tendendi illis conuenire minimè proportionales inter se; sed potius inuicem oppositos. Impossibile verò est actum non seruantes mutuam inter se proportionem, speciali aliqua proportionem nihilominus correspondere tertiæ alij speciei.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

4. Spes est virtus moralis, quia consistit in medio inter præsumptionem & desperationem. De ratione namque virtutis moralis, prout condistincta à Theologica est medietas inter extrema vitiosa. Fides autem est virtus Theologica, ut dictum est; atque virtus Theologica excedit absque vlla proportionem virtutem quamlibet moralem, sicut obiectum formale illius excedit obiectum formale istius.

5. Fides est certa, ac infallibilis. Nulla autem imitatio certitudinis intellectualis conuenit spei; quia spes beatitudinis, quam habent reprobi, dum viuunt planè frustratur cum ipsi moriuntur; & tamen ea spes est eiusdem in illis rationis, atque in Prædestinatis. Patet autem spem frustrabilem non posse habere vllam veram imitationem cognitionis certæ, ac infallibilis.

6. Actus fidei sunt liberi libertate contradictionis, & contrarietatis. Actus autem spei neutra libertate sunt liberi. Certè libertate contrarietatis liberi esse non possunt. Quia qui non habet fidem pro priori natura non potest sperare, ut constat ex quæst. 32. Qui autem præhabet fidem non potest desperare. Quia qui desiderat aliquid, si deinde certò cognoscat adesse causam, quæ infallibiliter id inductura sit, cum certitudine, & infallibilitate vtroque metaphysica; Imò etsi solam habeat moralem certitudinem, de sola necessitate morali causa ad eum effectum; impossibile est, ut desperet de eius futuritione, quod per experientiam patet, & à priori. Quia eo ipso nullum proponitur motiuum desperandi. Quicumque autem præhabet fidem, cognoscat certò, certitudine metaphysica æquivalente euidentia, & superante certitudinem moralem, Deum infallibiliter daturum esse beatitudinem, si per nos non steterit; cæteraque omnia præstiturum esse, quæ proponuntur, ut sperabilia. Atque hæc eadem præsupponuntur desiderata, implicite quidem per actum piæ affectionis, qui imperat fidem; formaliter verò, post fidem, & ante actum tam spei, quam desperationis. Est enim de ratione vtriusque, ut præsupponat desiderium, uti docet D. Thomas 1.2. q. 40. art. 4. ad 3. & alibi. Ergo retenta fide est impossibile desperare. Nunquam igitur dari potest simul, in eadem potestas proxima sperandi, & desperandi, ac proinde actus spei non potest esse liber libertate contrarietatis. Patet autem actum liberum, & qui non est liber eadem libertate, non habere proportionalem, sed oppositum modum cessandi in se, & attingendi obiectum.

Art. 1. Resp. Quod ad definitionem attinet Spei, eam non pauci Auctores vsurpant, quam tradit Magister in 3. dist. 26. & 27. init. aiens, *Spes est qua spiritalia, & æterna bona sperantur*; id est, *expectantur cum fiducia*. Et rursus: *Spes est certa expectatio futura beatitudinis, veniens ex Dei Gratia, & meritis præcedentibus, vel ipsam Spem, quam natura præstat Charitas, vel rem speratam; id est, beatitudinem æternam*. In quibus est aliquid, quod vltius desideretur. Nam in priori definitione, ita adhibetur Verbum, *Sperandi*, ut nihil per illud innotescere possit non præscienti, quid sit sperare; quod tamen ipsum perinde est, atque præscire quid sit Spes. Nec satisfacit expositio ibi subiuncta, *per expectationem cum fiducia*. Quia sperare, ut sic est indifferens ad expectationem cum fiducia, & sine illa. Plura enim homines ab hominibus sperant cum diffidentia. Plura item cum fiducia male fundata in actu vitioso. Quare fiducia est modus, quidam actus sperandi, non determinans ipsum ad speciem virtutis, ut liquet ex D. Thoma in hac 2. 2. quæst. 129. art. 6. præsertim ad 3.

Art. 2. Deinde, quod Spes restringatur ad spiritualia, & æterna bona, non videtur legitime factum; quia bona etiam temporalia, possunt per Spem Theologicam sperari, sicut possunt à Deo promitti, & sapè